Cardinal
Fred[k]. Jean Joseph Coelesti
Prince de Schwarzenberg
born Vienna 1809

Eminentissime ac Reverendissime Domine mi Observandissime!

Dum permittente Deo vehementior in dies saevit tempestas, qua irruente fundamenta paene societatis humanae vacillant: pari fide et pietate, quotquot in orbe terrarum de copiosa Redemtione divinitus nobis oblata laetamur, ad illam firmissimam petram confugimus, quae, prout Apostolus ait, Christus est, a quo in hujus saeculi deserto flagitamus robur et auxilium.

Salutiferae Ejus Nativitatis solemnia me quoque vehementius urgebunt, ut fervidas ad benedictum Praesepe divini Salvatoris nostri preces effundam, quae Ecclesiae nobisque singulis proficua, quae insuper Eminentiae Vestrae grata dignoscuntur humillime imploraturus.

Dignetur itaque divinus infans Eminentiam Vestram plenitudine donorum coelestium cumulare, dignetur vitam Eminentiae Vestrae diu conservare, Eidemque spectandam praebere victoriam suam gloriosam de mundi principe.

Hisce votis sinceris adjungo grati animi sensus pro simili gratulatione ab Eminentia Vestra mihi oblata, atque manus devote osculans persevero

Eminentiae Vestrae Reverendissimae

Pragae die 25. Novembris 1880.

humillimus devotissimus s. v.
Fr. Card. Schwarzenberg
Archiep. Prag.

133.758.2